

et providentiam, sed etiam se habet ut terminus viæ, qua meremur, vel demeremur beatitudinem, et sine qua nec gratia habet ultimam perseverantiam, neque peccatum ultimam obdurationem, et impœnitentiam, neque executioni potest mandari iudicium divinum sive circa bonos, sive circa malos: ergo sub ista consideratione ad illam providentiam spectabit mors ad quam spectat disponere, et providere de via tendente, vel avertente se a beatitudine; hoc autem pertinet ad specialem providentiam, vel prædestinationis pro via justorum, vel reprobationis pro via peccatorum: ergo ad eandem specialem providentiam pertinebit disponere, et gubernare mortem, ut terminum hujus viæ. Denique, ad eandem providentiam, et potestatem ad quam pertinet ferre sententiam de aliquo reo, et condemnare, pertinet executionem supplicii imperare, et dirigere; sicut ex potestate qua iudex reum mortis condemnat, ex eadem ordinat quod educatur de carcere, et ducatur ad locum supplicii, sed reprobis per mortem educitur de carcere corporis, et hujus vitæ, duciturque ad locum supplicii: ergo mors reprobi, ut habet rationem talis educationis, est ordinata per providentiam reprobativam, et condemnativam. Unde hæc est vera causalis, ideo iste homo moritur in peccato, quia non est electus ad gloriam: si enim electus esset, non sic moreretur in peccato. Rursum hic effectus mortis in peccato habet infallibilem connexionem cum damnatione æterna, et ad illam conducit, sicut ad finalem impœnitentiam: ergo in quantum sic connexa mors cum damnatione alicujus providentiæ effectus est, quæ talem connexionem facit, nec alia esse potest quam reprobatio, quia ad hanc solam pertinet damnatio æterna, et ex con-

sequenti, quidquid connexionem infallibilem habet cum illa. Et licet Deus mortem non fecerit, ut dicitur Sap. 1, quia videlicet ab initio, quando creavit hominem, dedit illi donum originalis justitiæ contra mortem, tamen posito peccato ordinata est a Deo mors, et alii defectus secundum justitiam Dei punientis, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. LXXXV, art. v, ergo etiam in reprobo potest ordinari ex speciali punitione Dei prout habet connexionem cum damnatione æterna.

XI. De aliis defectibus aut pœnalitatibus corporalibus reproborum, ut malo temperamento, duro ingenio, et indisciplinabili pronitate ad concupiscendum, vel vindicandum, et similibus, quæ valde juvant ad peccandum, et perseverandum in peccatis, dico quod isti defectus possunt considerari dupliciter, primo secundum se, et quoad substantiam; et sic non sunt effectus reprobationis, quia communes sunt reprobis, et prædestinatis, unde in aliquibus per gratiam vincuntur, et mores valde agrestes, et feri mansuescunt. Secundo, possunt considerari ut de facto conducentes, et coadjuvantes ad lapsum, et continuationem peccatorum, et ut impediens operationem divinorum auxiliorum, ne convertatur quis ad Deum, nec ita facile disponatur; et sic possunt considerari, vel quatenus hoc habent ex abusu, et malitia ipsius peccantis, quia sua prava dispositione male utitur. Et hoc modo non sunt effectus reprobationis, quia non ex intentione Dei ad hoc dantur, sed per accidens ex abusu, et malitia aliorum in id cedunt. Vel possunt considerari ut pars quædam, vel conditio permissionis divinæ dene-gantis gratiam, quatenus plerumque mensuram gratiæ, et auxilii accommodat juxta naturalis capacitatis modum, nec vult dare gratiam

extraordinariam, quæ talem vincat modum. Et sub hoc respectu pertinebunt tales effectus ad reprobationem, sicut permissiones peccatorum, quatenus cum illis connectuntur, et disponunt, vel conducunt ad denegandam gratiam illam extraordinariam, et possunt ex illo fine descendere, ex quo ipsa permissio. Unde probatio hujus, et explicatio dependet ex dicendis circa permissiones peccatorum an sint effectus reprobationis: nomine enim permissionis etiam intelligendum venit quidquid connectitur, vel disponit ad talem permissionem. Nam ad ipsam condemnationem non conducunt nisi mediante conducentia ad peccatum.

Denique, circa substantiam reprobi, aliaque naturalia ad ipsum spectantia (ut hoc etiam statim expedit) videri posset esse effectum reprobationis, vel quatenus nunc cedunt in abusum et deceptionem peccatorum, vel quatenus in futuro cedent in pœnam damnatorum omnia ista, et primo modo pertinere possunt et conducere ad permissionem culpæ; secundo modo ad punitionem pœnæ.

XII. Cæterum hæc ratio nimis generalis videtur, ut propter hoc dicamus hæc omnia esse effectus reprobationis, etiam mediate, et imperative, cum Deus neminem creet, aut ideo res universi producat, ut aliqui pereant, et damnentur, ut ex Prospero responsione ad tertiam objectionem Vincentianam, Damasceno, et aliis supra diximus. Quare res naturales non subjiciuntur damnationi ut fini, sicut subjiciuntur gloriæ filiorum Dei, cujus revelationem omnia creatura expectat, ut ait Apostolus ad Rom. viii. Et ideo possunt res naturales sub hoc respectu esse effectus prædestinationis mediate, et imperative, quatenus ordinantur ad illam gloriam, ut ad

finem a quo perficiuntur. Cæterum ad oppositum, scilicet ad exclusionem a gloria, quod pertinet ad reprobationem, non ordinantur creaturæ tamquam ad finem a quo perficiuntur; et sic non habemus fundamentum, et dicamus creari propter finem reprobationis. Sunt tamen aliquæ creaturæ, quæ specialiter præparatæ sunt a Deo in tormentum, et cruciatum reproborum; sicut ignis inferni: *Qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, et cum igne præparata sunt alia multa quæ ad tormentum confluent, et congerentur in illo loco supplicii, sicut dicitur Isai. xxx: *Præparata est ab heri topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus ignis, et ligna multa: Spiritus Domini tamquam torrens sulphuris succendens eam*: et Psal. xx: *Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum*. Hæc enim quia sunt instrumenta cruciatus reproborum, et specialiter a Deo ad hunc finem præparata, pro hac parte effectus sunt reprobationis. Imo ut D. Thomas in iv, dist. l, quæst. ii, art. iii adducit ex D. Basilio: « Quidquid feculentum, et ignobile est, in infernum projicietur ad pœnam damnatorum. » Alia autem quæ solum per accidens, et occasionaliter cedent in pœnam damnatorum, aut in præsentem fiunt eis in musculam, et deceptionem, non possunt dici effectus reprobationis specialiter, et proprie, etiam mediate, et imperative, quia non ex intentione Dei ad hoc fiunt, aut tali fini subjiciuntur, sed ex eorum prava indispositione, et abusu, aut in peccando in præsentem, aut accipiendo pœnam ex divina ordinatione in futuro: sic enim corpora sua, et ea quæ viderunt, aut possederunt in hoc mundo, et fuerunt occasio peccandi, et quidquid eis delectabile est, in hac

vita, erit pœnale in futura, juxta illud Jacob xx : *Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus; divinitas quam devoravit, evomet, et de utero illius extrahet illas Deus.* Sed hoc modo etiam sol, et luna, et sidera, et herbæ, et metalla possent dici effectus reprobationis, quia ex omnibus sumere possunt in hoc mundo occasionem peccandi, et in futuro erunt eis pœnalia, quia omnes creaturæ erunt damnatis materia tristitiæ, sicut beatis materia gaudii, ut dicit S. Thomas in iv, dist. l, quæst. ii, art. iii, quæstiunc. i. Unde dicitur Sapient. v quod : *Deus armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et quod pugnabit orbis terræ contra insensatos,* imo ac ipsa gloria beatorum est eis valde pœnalis, et ipsa humanitas Christi, et Deus ipse. Quæ omnia non possunt dici effectus reprobationis, quia ad hoc non sufficit quod per accidens; et occasionaliter ad pœnam deserviant, vel ad culpam, sed requiritur quod per se ex intentione Dei propter finem reprobationis ordinentur, et ad illum conducant, vel mensurent aliquem effectum ejus.

PERMISSIONES PECCATORUM ET DENE-  
GATIO GRATIÆ EFFICACIS SUNT EF-  
FECTUS REPROBATIONIS.

XIII. Dico secundo : Permissio cadendi in peccatum (quæ est denegatio efficacis auxilii) obduratio, et derelictio in illo, vere, et proprie est effectus reprobationis, si sit permissio aut obduratio peccati, non remittendi, ita quod cum finali impœnitentia continetur, vel ad illam ordinem dicat; permissio autem peccati remittendi non est effectus reprobationis quando plene est remissum. Est autem effectus reprobationis, non quantum ad actum punitivum, sed ut est providentia

Dei circa reprobos. In hac conclusione non omnes conveniunt, etiam ex eis qui tenent permissionem peccati, et non solum pœnam damnationis esse effectum reprobationis, quia aliqui nimis ample omnem permissionem peccati, sive sit primum, sive ultimum, sive remissum, sive non remittendum, sentiunt esse effectum reprobationis, quod aliquibus ex antiquis tribuitur, ut Gregorio, Marsilio, Driedoni, et ex recentioribus tenet Granados tract. viii de reprobatione, disputatione unica, sect. iv, loquens in specie de peccato originali remisso, sicut fuit remissum Esau in circumcisione, et tamen propter ipsum sensit Augustinus fuisse odio habitum, et reprobatum a Deo. Aliqui autem ita moderantur hanc sententiam, quod solum primi peccati permissionem putant non esse effectum reprobationis, eo quod non supponit aliud peccatum prius in cujus vindictam, et pœnam permittatur aliud, reliqua vero peccata post primum jam inveniunt aliquid in cujus pœnam permittuntur, reprobatio autem cum sit pars justitiæ vindictivæ non habet effectus, nisi per modum pœnæ et vindicationis. Et hoc videtur procedere non solum de primo peccato simpliciter in toto initio vitæ, sed de quocumque primo peccato post justificationem et plene remissum peccatum. Quæ sententia attribuitur Zumel i p. q. xxiii, art. iii, disp. vi et de ea videri potest Arrubal disp. lxxxix, c. ii et iii aliique quos ipse citat, et refert Villegas hic contr. xvi, disp. ii, c. i.

XIV. Nostra conclusio (quæ videri potest apud m. Gonzalez hic disp. lxxvii, sect. ii,) sumitur ex D. Thoma qui in hac quæstione xxiii, art. iii inquit, quod : « Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et infe-

rendi damnationis pœnam pro culpa. » Quæ verba sumo in sensu copulativo, ita ut utrumque concurrat ad hoc ut permissio peccati sit effectus reprobationis, scilicet quod permittat aliquem cadere in culpam et habeat voluntatem inferendi damnationis pœnam pro culpa, id est, pro illa culpa, quam permittit ex vi reprobationis : ergo permissio culpæ pro qua non vult Deus inferre damnationis pœnam non includitur in voluntate reprobationis ; et sic non est effectus illius. Apertius hoc sumitur ex ipso doctore sancto 1-2, q. lxxix, art. iv, ubi inquit, quod : « Excæcatio (quæ est idem ac permissio peccati) sui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus : sed ex divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur, sed prædestinatis solum. » Ergo manifeste S. Thomas ponit excæcationem esse effectum reprobationis, quando juxta suam naturam ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur : sed non ordinatur ad damnationem æternam peccatum quod remittitur : si enim est remissum totaliter, tollitur reatus æternæ pœnæ. Unde dicit S. Thomas in iv, dist. xxii, q. i, art. iv, quod : « Peccata dimissa non adducuntur in iudicium, nec Deus ea adduceret si quis inconfessus moreretur post recidivum, sed damnaretur solum pro peccato, quo recidivavit. » Ergo secundum D. Thomam peccatum dimissum non pertinet ad damnationem : ergo non ordinatur a Deo ad illam : ergo non est effectus reprobationis, juxta id quod dicit in loco primæ secundæ citato. Imo, et de peccatis per pœnitentiam deletis, sentit magister sententiarum in iv, disp. xlvi, rationabile esse quod in

electis non manifestabuntur in die iudicii. Quod certe ad confitendum peccata multum animare debet.

XV. Fundamentum conclusionis quantum ad primam partem, scilicet quod permissio peccati, ut irremissibilis, sit effectus reprobationis, illud est, quia talis permissio peccati nunquam remittendi antecedere debet voluntatem damnandi damnatione perpetua, si quidem non infertur damnatio nisi propter peccatum irremittendum : antecederet ergo ad actum punitivum, et illativum damnationis datur permissio peccati non remittendi. Talis autem peccati permissio, quatenus tale est effectus alicujus providentiæ divinæ : nec enim illa permissio a Deo fortuito, et temerarie fit, sed ex prudenti et debita dispositione, et non potest esse effectus providentiæ generalis, neque prædestinationis : ergo reprobationis, seu alicujus providentiæ specialis contrapositæ ipsi prædestinationi, et quæ versatur circa deficientes a fine ultimo, et hoc vocamus reprobationem. Totus discursus est legitimus. Et minor illa, quod non sit effectus generalis providentiæ, nec prædestinationis, patet, quia effectus generalis providentiæ sunt communes reprobis, et prædestinatis, permissio autem peccati ut non remittendi non potest inveniri nisi in reprobis secundum præsentem statum rerum : licet enim si Deus statuisset creare aut relinquere hominem in puris naturalibus et neque ei dare gloriam, neque damnare propter peccatum tali exclusionem, tunc peccatum non remissum non esset effectus reprobationis, eo quod non daretur tunc reprobatio ; tamen rebus ut nunc, cum homines ordinantur ad gloriam, impossibile est quod permissio peccati non remittendi non habeat specialem oppositionem cum assecu-

tione gloriæ, seu cum prædestinatione et connexionem inevitabilem cum pœna damni: ergo prout talem connexionem habens, impossibile est quod non sit ordinata a speciali providentia reprobativa, atque adeo effectus illius. Similiter non potest esse effectus prædestinationis neque directe, quia non est talis permissio cadens in ipsos prædestinatos, aut ad eos pertinens, cum ipsi in quantum tales, non sint capaces talis peccati irremissibilis, neque indirecte, quasi aliquid cedens in gloriam beatorum, licet pertineat proprie ad defectum, et miseriam reproborum, quia hoc quod est cedere in bonum beatorum non tollit quin directe pertineat ad aliam providentiam ad quam pertinent ipsi reprobi: nam etiam ipsa damnatio, et inflictio vindicativa reproborum cedit in electorum gloriam, et lætiam: *Lætabitur enim justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, et tamen hoc non obstante talis damnatio est effectus reprobationis: ergo etiam non obstante quod permissio peccati non remittendi cedat in gloriam beatorum, pertinebit nihilominus directe ad aliam providentiam, et non ad communem, et generalem pro reprobis, et prædestinatis: ergo ad propriam reproborum. Imo, et res omnes naturales cedent in gloriam beatorum: *Quia omnis creatura expectat revelationem filiorum Dei*, ut dicitur Romam. VIII, et tamen non propter hoc est dicendum quod solum sint effectus prædestinationis, et non providentiæ naturalis, cum non pertineant ad prædestinationem nisi imperative; et sic supponitur ad aliam providentiam pertinere, quæ imperetur ab illa. Similiter ergo si permissio peccati non remittendi pro reprobis pertinet ad providentiam prædestinationis indirecte, quatenus cedit in bonum,

et in gloriam prædestinatorum: ergo non pertinet elicitive ad prædestinationem, quia non est aliquid supernaturale pertinens ad prædestinatos, neque medium quo ducantur ad gloriam, sed pertinebit imperatively, sicut aliæ res non supernaturales pertinentes ad alios, quæ solum imperative sunt a prædestinatione, quatenus cedunt in bonum, et gloriam prædestinatorum. Si autem solum imperative est effectus prædestinationis illa permissio: ergo supponit pertinere elicitive, seu proxime, et immediate ad aliam providentiam, cui prædestinatio imperet, et non ad providentiam generalem, ut ostensum est: ergo ad reprobativam.

XVI. Secunda pars conclusionis, quod solum permissio peccati non remittendi, sed quod continuatur, aut dicit ordinem ad peccatum finale non remittendum sit effectus reprobationis probatur, quia peccatum semel remissum nunquam punitur pœna damnationis æternæ, eo quod per gratiam sanctificantem evacuetur omnis reatus pœnæ æternæ: ergo tale peccatum ut remissum, non coordinatur fini reprobationis, quæ est exclusio perpetua a regno Dei; id autem quod non coordinatur, neque continuatur fini, et effectui ultimo alicujus providentiæ, non est effectus ejus, quia hoc ipso quod non coordinatur illi, non se habet ut conducens ad illum: si enim conduceret, ordinem ad illum diceret, eique coordinaretur, quod autem non est conducens, neque ordinatum ad illum finem, non est effectus ejus, neque a voluntate intendente talem finem derivatur, quia ut sit effectus illius voluntatis, debet ab illa derivari, et ad finem ejus conducere.

XVII. Dices: Potest conducere peccatum remissum ad finem reprobationis, eique coordinari; pri-

mo, quia peccatum illud licet remissum, potest in memoriam revocatum iterum inclinare ad aliud peccatum, et sic conducere ad permissionem novi lapsus: deinde, quia ille qui recidivat in peccatum, trahit ex præcedenti peccato remisso circumstantiam ingratiitudinis aggravantem; et sic influit in aliquid damnationis, saltem ut circumstantia, et modus illius. Tertio, quia etiam peccatum ut remissum, est materia majoris doloris, et pœnæ accidentalialis in infirmo, sicut etiam vocationes inefficaces, et gratia interrupta in prædestinato sunt effectus prædestinationis, ut supra diximus, quia deserviunt pro materia gaudii accidentalialis in cœlo: ergo similiter si peccata interrupta, et remissa per gratiam deserviunt pro materia doloris, et pœnæ accidentalialis in inferno, cur non erunt effectus reprobationis?

XVIII. Respondetur ad primam instantiam quod ibi non operatur peccatum remissum formaliter in ratione culpæ, sed materia peccati præteriti ut alliciens, et tentans de novo ad aliud peccatum. Et talis tentatio jam non spectat ad peccatum præcedens remissum, seu ad id quod remissum est de peccato, scilicet ad culpam, quod est formale in peccato: hoc enim non influit aliquo modo in finem damnationis, nec est id quod tentat, et allicit, sed materia illa circa quam peccatum fuit quatenus de novo proponitur, et revocata in memoriam tentat; permissio autem divina respectu illius peccati quando commissum est, non fuit respectu materiæ peccati, sed respectu ejus quod formale est in peccato, scilicet aversionis: ergo hæc permissio non influit jam, neque conducit ad effectum reprobationis, quia id quod tentat de novo non est memoria illius permissionis, nec memoria illius aversionis, sed

materia illa delectabilis aut utilis, quæ pulsat iterum cor. In quo differt a vocationibus inefficacibus in prædestinato, quia istam etiam prout a Deo descendunt sunt beneficia, quæ revocata in memoriam operantur in prædestinato ad bonum. Quod si aliquis ita perversæ malitiæ sit, quod ex ipsa permissione peccati remissi, et ex ipsa aversione secuta moveatur ad offendendum Deum de novo, et non ex materia ipsa peccati in qua deliquit; adhuc non obstat, quia hoc non est ex ipsa permissione divina per se, neque ex intentione qua a Deo processit, sed ex abusu, et malitia ipsius peccantis, quæ multo deterior est, et ad hunc abusum, et malitiam nova, et distincta permissio Dei requiritur. Illa autem prior permissio respectu peccati remissi non descendit a Deo ea intentione ut revocata in memoriam provocaret ad novum lapsum multo deteriorem, scilicet ad peccandum ex memoria, et delectatione de ipsa aversione formali, ut aversio est, sed id ex abusu, et malitia peccantis ortum est; et sic per accidens se habet ad primam permissionem. Ut autem aliqua permissio, vocatio, vel quodlibet beneficium Dei sit effectus prædestinationis, aut reprobationis ex eo quod operatur ut revocatum in memoriam, requiritur quod ea intentione, et voluntate a Deo descendat, ut revocatum in memoriam sic operetur.

XIX. Ad secundam instantiam dicitur quod illa circumstantia ingratiitudinis in recidivante non fundatur in ipsa permissione peccati remissi, sed potius in ipsa remissione facta a Deo, quia ingratiitudo fundatur in mala correspondentia beneficiati ad beneficium sibi collatum: beneficium autem collatum huic reprobo fuit remissio peccati in quod incidit, non permissio prima, qua incidit. Et sic si ingratiitudo